

Vita R. P. Francisci Xav. Hofbauer, S. Clementis nepotis <sup>1</sup>

Alumnorum C. SS. R., qui Vetoettingae (*Altötting*) in Bavaria, ubi celeberrimum B. M. V. templum, pie in Domino vitam posuerunt, primipilus fuit R. P. Franciscus Hofbauer, fratris S. Clementis filius, de cuius vita iam plura scimus, postquam temporibus nuper exactis magna moles monumentorum Hofbauerianorum detecta atque in publicam lucem edita.

S. Clemens M. Hofbauer omni quo poterat cura assiduaque diligentia id studebat omnem per vitam, ut Congregatio SS. Redemptoris in Transalpinis regionibus radices ageret. Quod cum in Austria propter nefarias Iosephi II imperatoris leges plane non fieri posse videretur, S. Clemens saltem inde adolescentes Congregationi sibi carissimae acquirere eiusque mente imbuere satagebat. Anno 1795 Vindobona Varsaviam revertens, Tassovitii et Znaymii in Moravia aliquid temporis commorabatur; dein quattuor pueros comites itineris habuit, quos inter fuit Antonius Priesching, sororis filius. Qui pueri in nostro seminario Varsaviensi educandi litterisque humanitatis imbuendi erant, ut suo tempore SS. Redemptoris Congregationi nomen darent, si vellent.

Ast brevi S. Clementis spes evanuit, cum magistratus Austriaci rebus Clementinis se ingerent. Sanctus namque Vir tribus annis post, redux ex Wollerau (qui vicus in Helvetia ad lacum Tigurinum situs est) et Varsaviam petens, die 21 Aprilis 1798 Cracoviae captus et in monasterio Fratrum Praedicatorum retentus est, quod contra legem vigentem olim illos pueros e finibus Austriacis eduxisset. Hos pueros igitur omnino in patriam esse remittendos. Aegerrime itaque S. Clemens eos per P. Jestersheim in Moraviam reduci iussit.

At alterum delictum ab « isto legum civilium Austriacarum contemptore » commissum esse magistratus interim exploraverant: abductionem alterius nepotis, Francisci Xav. Hofbauer. Sed Franciscus, qui d. 15 Aprilis 1778 lucem aspexerat, ab ipso patre Laurentio Hofbauer, lanione in Brattelsbrunn, 1796 Varsaviam ductus erat, quod filius, patrum vestigiis insistere cupiens, in Congregatione SS. Redemptoris sacerdotium appetebat. Itaque alacri animo Varsaviae litteras humanitatis discere coepit. Quo autem tempore S. Clemens Cracoviae retinebatur, isti magistratus Austriaci meminerant et huius nepotis eumque pariter in Austriam remittendum esse censuerunt. At die 5 Augusti S. Clemens e carcere Cracoviensi atque etiam e finibus Austriacis aufugit, quo facto res quiescere videbatur. Franciscus

<sup>1</sup> Eam scripsit R. P. *Aloisius Meier*, Provinciae Germaniae Sup.

autem Hofbauer die 15 Octobris 1802 Varsaviae votis Congregationi se adstrinxit et statim philosophiae et theologiae operam dare coepit.

Ast magistratus Austriaci tenacis fuerunt memoriae, ita ut huius nepotis emigratio post multos annos novae vexationis causa facta sit. Anno namque 1810 in domo Laurentii Hofbauer Clementinas epistolas quaerunt, quibus demonstraretur praesertim a patruo nepotem ad emigrandum ductum esse. Verum frustra laborarunt; Laurentium tamen patrem, quod filii emigrationem non impedivisset, immo ei favisset, ad sex hebdomadam labores publicos obeundos damnaverunt.

Cum Francisci pater haec tulit, filius apud Helvetios in S. Alfonsi exercitu vitam degebat. Etenim 22 Iul. 1803 cum P. Passerat et clericis Ioanne Sabelli et Casimiro Langanki pervenit ad montem Tabor prope Jestetten, ubi interim a S. Clemente prima domus C. SS. R. in finibus imperii Germanici fundata erat, si domum dicere velimus arcem principis Schwarzenberg semidirutam, cuius unam partem moniales quaedam incolabant, alteram autem Alfonsiani alumni. Verum res Taboritanae iam undique pervulgatae sunt.

Patre Passerat duce et magistro Fr. Franciscus Hofbauer disciplinas theologicas discere continuabat usque ad anni 1803 mensem Augustum, quo tempore ipse et clerici Ioannes Sabelli et Casimirus Langanki cum S. Clemente et P. Hübl iter Italicum aggrediuntur, ut ab Episcopo Fulginatensi Marco Antonio Moscardini (1796-1818)<sup>1</sup> sacerdotio initiarentur. Quid mirum, si novus sacerdos sperabat se Romae primum Missae sacrificium celebraturum, vel saltem Romam pie peregrinaturum? Ast aliter alea iacta est. Tres namque novi sacerdotes postridie ordinationem sacerdotalem, die 24 Octobris, S. Raphaelis sacro, in collegio nostro Hispellensi primum litaverunt et post prandium sumptum iter Lauretanum ingrediuntur, quo facto per Italiam superiorem et Helvetiam d. 13 Novembris in montem Tabor revertuntur.

Tres novi sacerdotes, a Vicario Generali Constantiensi Wessenberg iurisdictione sacra donati, confessiones audire et Dei verbum praedicare coeperunt, sed multum etiam temporis sacris disciplinis vacare pergebant. Die 30 Maii 1805 P. Franciscus Hofbauer a S. Clemente cum tribus aliis Patribus ad templum Marianum in Triberg in media Silva Nigra situm perducitur. Hic loci, post paucos menses tranquillos, duos paene annos maximis acerbitatibus refertos transiget. Quibus de rebus permulta exstant documenta in quarto fasciculo Monumentorum Hofbauerianorum collecta<sup>2</sup>. Quibus e documentis patet Wessenberg tres Patres illos post certum

<sup>1</sup> Cf. PIUS GAMS O. S. B., *Series Episcoporum*, p. 697. — In dioecesi Fulginatensi nostri a. 1781 domum cum parva ecclesia obtinuerant Hispelli (*Spello*).

<sup>2</sup> Videsis supra in fasc. 1, p. 51.

tempus Friburgum Brisgoviae ad examen obeundum petere iussisse et postea eos ab omni exercitio ordinis suspendisse. Mense Febuario 1806 PP. Langanki et Hofbauer a Wessenberg poenae remissionem petunt, at nil responsi acceperunt. Quamdiu Triberg Ferdinando archiduci subiacebat, nec Wessenberg neque eius asseclae voti Patrum expellendorum composites facti sunt. Verum ubi territorium Tribergense, quod per breve tempus regno Württembergensi additum erat, magno ducatu Badensi adiectum est, Wessenbergiani triumphare potuerunt. P. Franc. Hofbauer d. 16 Maii 1807 e carcere Tribergensi liberatus, in Babenhausen Suebiae proficisci iussus est. Verum non ita multum temporis ibi commorabatur, cum S. Clemens eum Curiam Helvetiae mitteret, ut fratribus e Babenhausen expellendis in abbatia ad S. Lucii asylum pararet.

Libet autem hic afferre quosdam locos ex epistolis, quas S. Clemens Varsavia ad P. Passerat anno 1807 scripsit, quae tamen nunquam ei traditae sunt, utpote a magistratibus Bavaricis iussu ministri Montgelas surreptae et ultra centum annos in archivo secreto Monacensi absconditae. « Fac in omnibus sicuti esses Vicarius Generalis; dabo tibi facultates omnes. P. Iosephus et Franciscus Hoffbauer sunt tibi in auxilium: gaudeant tecum, quia primi lapides sunt; gaudebunt certe in aeternum cum sanctis Patriarchis, quando videbunt filios ad dextram Excelsi: sed cogitent, quod etiam dolores matrum debent portare; ne deterreat timor doloris, parere Christo filios. Saluta omnes et singulos in vulneribus Christi; amplectendo omnes ad cor premo. Valete, fratres, gaudium et corona mea, gloria mea, in Christo dilectissimi! Iesus Christus imbuat vos benedictionibus coelestibus, det vobis Spiritum suum sicut Apostolis suis! Sanctificate mundum, fratres carissimi! Nihil faciet inimicus contra vos, si Christus pro nobis est. Orate pro nobis, ut faciamus sanctam voluntatem Patris nostri! Salutant vos omnes fratres ».

Franciscus noster, sicut plerique sodales, S. Clementem ultimum in vita in Babenhausen vidit. Longe maiorem vitae subsequentis partem in Helvetia transacturus erat, et in asylo Curiensi quidem fuit Minister huius domus, et ut communitati 17 fratrum alendae satagebat, ita nihilominus paupertatem non arcebat. Cum mansio Curiensis non ita longa videretur futura, P. Passerat mature in Vallesiam perrexit, novum domicilium investigatum. Devertit autem ad R. D. Hadrianum de Courten, parochum in Visp seu Fischbach, et postquam cum ipso rem composuit, Curiam revertit et quamprimum PP. Franc. Hofbauer et Ioannem Sabelli cum Fratere laico d. 8 Iul. 1807 per altissimos asperrimosque Helvetiorum montes iter aggredi iubet Vispianum. In Visp illico cum P. Langanki, quem P. Passerat ibi reliquerat, communem vitam agere incipiunt. Paucis mensibus post S. Clementis nepos Curiam redire iubetur, cum interea res Curienses magis tranquillae viderentur. Ast fuit tranquillitas ante tempestatem vehementem, quae Kalendis Decembribus orta est. Die 14 eiusdem mensis omnes Ligoriani a magistratibus civilibus post octo dies Curia omnino discedere iubentur. P. Passerat P. Franciscum iam ante hunc diem in Val-

lesiam remiserat, ubi minus benigne a R. D. de Courten exceptus est, quod Patres solum ad se confugerent, quando Curiae remanere non iam possent. Tugurium Vispianum pauper omni vitae commoditate carebat, fames et frigus semper hospites erant. Dum P. Passerat ipse Vispii remanet atque adolescentulos candidatos litteris informat, Patres ceteri, alius alibi, parochos in animarum cura obeunda adiuvabant.

Quamdiu et ubi P. Franciscus extra domum fuerit, nos latet; cum Franco-Galli Vallesiam occuparunt, ipse Vice-Rector domus erat. Franco-Galli domum invadunt omnemque suppellectilem obsignant, quod magnos thesauros ibi latere suspicabantur. Verum magistratus Vispienses, qui mandatum Gallicum exsequi iussi erant, Patribus faventes usque ad plenum diem exspectaverunt. R. P. Heberle teste « hi magistratus longius in refectorio commorabantur, ut nobis tempus esset ad pecuniam aliasque res meliores auferendas. Dum omnes corripunt quod melioris notae videretur, R. P. Hofbauer Quasi-Rector longius cum magistratibus amice conversabatur. Mandatum demum urgebat exsequendum. Verum praeses loci ipsa nocte rediit atque ipse nostratibus suasit ut sigillis sublatis, quidquid nobis auferendum videretur, extraheremus, silentio strictissimo nobis indicto ». Ubi demum Franco-Galli arcas cistasque aperiunt, nil praeter libros usu detritos, saccos stramentis complendos, pannos, lintea inveniunt. Commissarius Gallicus, qui decem horarum iter peregerat, furibundus dixit has res vilissimas Sedunum deportare operae pretium non esse. »

Patres dispersi sunt alius alio, remanentes sub Patris Passerat cura custodiaque. P. Hofbauer abiit alicuius parochi capellanus, et saltem ultra sex annos in pago Vallesiensi delituit, Congregationi deditissimus. Demum P. Passerat filios dispersos denuo in pago Friburgensi congregari posse putabat. Vicus Batterswyl haud ita longe Friburgo distans locus idoneus videbatur, quo a. 1811 Patrum pars maior congregaretur, nonnullis in Vallesia remanentibus. Patres parochorum vicinorum vicarii erant; clerici sub P. Passerat tutela Friburgensibus in scholis operam dare litteris pergebant. Patris Hofbauer usque ad a. 1818 mentio non fit, cum delitesceret aliquo loco ab hominum commercio maxime remoto, et a Deo summis votis exoptans, ut sibi in vera communitate religiosa vitam agere et finire liceret.

Anno 1818 Redemptoristae in asceterio quondam Carthusianorum in Valle Sancta (*Valsainte*) sedem fixerunt, quo loci P. Passerat omnes deinceps Patres saltem ad tempus convenire iubet, ut in spiritu vocationis suae renovarentur. Quos inter anno 1820 apparet etiam P. Hofbauer, qui « quasi-collegii » Minister fratribus post longam dispersionem quoquo modo utilis esse studebat. Iamiam sacrarum missionum peragendarum cupidus in pago Friburgensi huic operi maximam curam impendere coepit, cruce pectorali decoratus, quam ab ipso sancto patruo acceperat. Anno 1825 cum altero Patre in Alsatiam mittitur, domui Bischenbergensi adscriptus; verum cum exteri essent, non ita multo post aufugere coacti sunt. Anno sequenti P. Hofbauer adscriptus legitur domui studiorum in

Tschoupperou, anno demum 1828 domui Friburgensi (*fig. 1*), in hac statione usque ad a. 1841 permansurus, quo tempore, PP. Czech et Schmitt Rectoribus, officia Consultoris aut Admonitoris obiit necnon Ministri.



FIG. 1. — Pristina nostra ecclesia Friburgensis cum attiguo collegio nostro. Supra portam adhuc stemma Congregationis conspicitur.

Hic loci afferre liceat, quod R. P. Petrus Zender in vita P. Ambrosii Zobel narrat. Ambrosius Zobel, natione Tirolensis, a. 1832, annum agens decimum septimum, Friburgum Helvetiae venit, ut litteras absolveret ac demum sacerdos fieret. Patres Oenipontani eum confratribus Friburgensibus per litteras scriptas, quae tamen nondum perlatae erant, commendaverant. Cum Rector collegii P. Czech domo abesset, P. Hofbauer rem tractare debuit, qui censebat adolescentulum esse repellendum. At Zobel: « Domum non iam revertar », inquit. « Deus huc me perduxit et B. V. Maria me tuita est nec deinceps me derelinquet. Frustum panis mihi sufficiet ad vitam sustentandam. Hic Friburgi litteris vacabo atque sacerdotium appetam ». Quibus verbis lacrimisque adolescentuli P. Hofbauer devictus, ut erat natura benevolus, non iam resistebat, sed Ambrosium recepit eiusque ad reditum usque Rectoris curam egit. Qui quidem quod factum fuerat ratum habens nihil non fecit, ut iuvenis Tirolensis voti compos fieret. Omnes autem norunt Ambrosium Zobel non solum sacerdotem factum esse, sed etiam in iis numerandum, qui natione Germanica orti permultum praestiterunt ad maiorem Dei gloriam promovendam et Congregationem propagandam.

Ab anno 1820 ad a. 1841 videres P. Franciscum in suo, ut ita dicunt, elemento, i. e. missionibus aliisque huius generis laboribus obeundis; videres hominem statura non ita altum, at robustum, de facie aliquid rubentem, de fervore virum vere patrii imitorem constantem, non iam arctis alicuius paroeciae finibus retentum cura animarum ordinaria, sed ut alumnum vere Alfonsianum Helvetiam atque etiam Alsatiam percurrentem, ut verbum Dei missionarius praedicaret. Cumque senectus paula-

tim arreperet, bonus Iesu Christi miles apud Helvetios arma se depositurum opinabatur. Verum Deus aliter disposuerat.

Permullis annis ante S. Clemens Hofbauer Vetoettingae multum Deum per intercessionem B. M. V. Thaumaturgae de Congregatione in Germaniam introducenda precatus erat; <sup>1</sup> frustra laborasse videbatur, et nihilominus exauditus est pro sua reverentia, etsi longum post tempus. Res autem haec fuit. Anno 1841 SS. Redemptoris alumni per Ludovicum I, Bavariae regem, qui a. 1815 saepius S. Clementem Vindobonae convenerat, Episcopo Passaviensi Henrico de Hofstätter, ut ita dicamus, Raphaelae, in Bavariam vocati sunt, eodemque decreto regio collegium quondam S. I. Vetoettingense una cum templo S. Mariae Magdalenae eis traditum est, quo vere pastores Vetoettingam pie peregrinantium declarati sunt. Quod ubi Vindobonae innotuit, P. Passerat undique Patres quindecim, ex Austria, ex Helvetia, ex Alsatia, e Belgio Oettingam petere iussit. Quos inter etiam R. P. Franciscus Hofbauer fuit, qui mandato obsequi maturavit, civis factus Bavariae. Ludovicus namque rex, erga nostrates vere munificus, omnibus Patribus exteris, Hungaris Gallisque exceptis, civitatem gratis et instrumento sua manu signato dederat. Ita factum est, ut Franciscus noster, qui ex Austria clanculum emigraverat in Poloniam, ob cuius emigrationem et pater et patruus multum tulerant vexationum aerumnarumque, qui de civitate sua ubique tacere debuerat, extremos vitae annos civis Bavaricus quietus Oettingae transigere posset. P. Passerat autem, qui S. Clementis nepotem bene noverat, eum, qui ceteros Patres Oettingam accersendos et aetate superabat et experientia, veluti lapidem angularem observantiae regularis novo adscripsit collegio (*fig. 2*).

P. Hofbauer, vir corpulentus et aetate iam confectus, praesertim piarum peregrinationum tempore vere indefessus fuit in confessionibus audiendis atque etiam in verbo Dei praedicando; et cum propter pedes fessos saepius in die scalis descendere easque ascendere non iam posset, integros fere dies in sacro transigebat tribunali. Ubi denique Patres Oettingenses a. 1843 sacras missiones instituere coeperunt, etiam P. Hofbauer huic operi adesse maturavit, quamdiu vires ferebant.

Toti communitati undique coactae semper erat optimo exemplo, vel de minimis rebus maxime sollicitus. Nil ab aliis sibi praestari patiebatur, quod ipse sibi praestare posset, aiens se Vetoettingam venisse non ministrari, se ministrare. In Superiorum mandatis exsequendis erat studiosissimus. Paupertatem vel in aquae usu observabat. Fratres omnes eadem

<sup>1</sup> In processu beatificationis S. Clementis P. Ioannes Pilat haec deposuit: «Pater Sabelli narravit, quo gaudio Veteris-Oettingae inspiceret tabellas votivas, et quomodo a Sanctuario vix avelli posset» (Summ. n. 9, § 67).

caritate complexus, in omnes maxime erat benignus humanusque, et si quando natura sua vehementi — haud secus ac sanctus patruus — rapiabatur, celeri passu factum detestatus, animo humili veniam precabatur.

P. Hofbauer, S. Clementem et Ven. P. Passerat imitatus, in precibus ad Deum fundendis vere indefessus erat, fere perpetuus in oratiunculis, quas iaculatorias vocant, eliciendis. Animo fervebat vere Alfonsiano erga



FIG. 2. — Altötting.

In media area « sacellum gratiarum » cum thaumaturga statua B. M. V.  
Ad dextram ecclesia S. Mariae Magdalenae,  
olim nostra, in cuius crypta P. Franc. Hofbaner sepulchrum invenit.

SS. Sacramentum necnon erga B. M. V. Cum humilitate, simplicitate, modestiaque magnam hilaritatem prae se ferebat, quae neque aegritudine nequa ullo infortunio minuebatur. Mansionis Oettinganae tempore Consultor Rectoris fuit et Praefectus Fratrum laicorum.

Anno 1843 apoplexia tactus, complures hebdomades uno pede claudicabat. Ubi vires aliquantum redierunt, in sacello domestico sacrum faciebat et permultus erat in Christo Eucharistico adorando. Ast senex venerabilis, mense Augusto anni 1844 denuo sanguinis ictu correptus, nec manus nec pedes movere poterat; insuper animi vires remittere videbantur. Denuo, ut ita dicamus, infans factus, nihilominus omnibus et simplicitate et pietate erat admirationi. Cum ob memoriam debilitatam sacri Rosarii mysteria omnia non iam nosset, ad hanc precationem absolvendam aliorum utebatur auxilio. Semper SS. Redemptorem invocabat; centies repetebat: « Mi Iesu, misericordiam! » nec minus saepe: « Fiat sanctissima Dei voluntas! » Item semper B. Mariae V. intercessionem efflagitabat atque etiam saepissime Angelum custodem invocabat. Quoties per vires animi fieri poterat,

Patrem infirmum sacro pane reficiebant, quem semper ardenti desiderio exspectabat. Senex omnibus admirationi erat propter animum erga Iesum Eucharisticum maxime devotum. Extremis vitae mensibus non iam quidquam de rebus huius saeculi scire cupidus erat, sed ad Dei amorem exercendum admonebat. Doloribus etsi maioribus oppressus, semper tamen hilaris erat. Saepius illum audires dicentem: « Non iam quidquam possum praestare laborum apostolicorum, verum quidquid potero, perficiam; fiat sanctissima Dei voluntas! ».<sup>1</sup>

Die demum 20 Septembris (sabbatum fuit) anni 1845 P. Franciscus Hofbauer, annum agens sexagesimum et septimum (S. Clemens undeseptuagesimum annum agens vita decesserat) e vivis emigravit. Corpus exanime in crypta templi S. Magdalenae appositum est iuxta corpora Patrum S. I. ibidem quondam sepultorum. Memoria autem nepotis S. Clementis, qui patruī vestigiis usque ad mortem fidelis institit, omnibus alumnis Alfonsianis permaneat indelebilis!

Fere nil scriptorum P. Francisci Hofbauer restat, quia illis temporibus paene omnia manuscripta igni tradebantur. Saepius eius nomen legitur inscriptum in libris laborum apostolicorum collegii Oettingani.

De illo Crucifixo in vita P. Ambrosii Zobel (p. 207) haec referuntur: « Occasione dierum festorum Clementis Hofbauer in Beatorum numerum relati P. Zobel Luxemburgi inter triduum sacrum e suggestu dicebat, quo die (17 Iulii 1888) communio generalis sodalium S. Familiae instituta erat, cum subito crucem, quam in pectore portabat, arriperet et populo auscultanti diceret: ' Videte, dilectissimi, Beati Clementis reliquias pretiosas! Haec crux est, quam, maximo cum animarum fructu praedicans, in pectore ferebat, quaque munitus rebus benedicebat hominibusque cum effectu vere admirabili. Hanc crucem P. Franciscus Hofbauer, B. Clementis nepos, ab ipso patruo acceptam, mihi anno 1841 donavit '. Quam crucem ubi P. Zobel elevavit, pie audientibus benedicturus, multis in oculis lacrimas gaudiosas fulgentes conspiceres ».

<sup>1</sup> Haec particularia desumpta e quadam relatione Latina, quae post obitum P. Francisci Hofbauer ad varias domos Instituti missa esse videtur.

*Quem maiorem honorem et affectum Iesus Christus nobis praestare potuit quam e medio saeculo nos eripiendo, ut ad sui amorem nos traheret utque in hac vita, qua ad aeternitatem nobis peregrinandum est, aliud non quaereremus quam ipsi placere et amorem ei procurare tot populorum, qui continuo singulis annis ope nostra peccato renuntiant et in Dei gratiam redeunt?*

(S. Alfonsus ad subditos 29 Iul. 1774)